

quisque, illo incrementum intrinsicus dante, operari justitiam ».

Probatum tertio rationibus. Prima ratio. Visio Dei, in qua proprie vita æterna consistit, res est non modo supernaturalis, sed usque adeo naturam omnem creatam excedit, ut nec agnosci, nec appeti, nec cogitari possit, nisi Deo ipso revelante: *Oculus non vidit* (inquit Apostolus Isaiam citans, I Corinth. II). *auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se* (1). Atqui ad finem supernaturalem et divinum requiruntur opera supernaturalia et divina, præsertim cum Deus omnia sapienter, suaviterque disponat. Non potest autem divina et supernaturalia opera facere, nisi prius ipse divinus et supernaturalis efficiatur, ut S. Dionysius ratiocinatur, in lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. par. 4. Debet igitur homo per gratiam inhærentem, et Spiritum inhabitantem evehî ad consortium divinæ naturæ, ut opera divina, id est, vitæ æternæ meritoria facere valeat. Atque hæc est ratio sancti Thomæ, S. Bonaventuræ, et aliorum illustrium Theologorum.

Secunda ratio. Si merita non penderent a statu et dignitate personæ, sed solum ab ipso opere, sive legis obedientia; certe merita Christi non essent infiniti pretii, neque multo essent majora, quam cæterorum justorum: nam ubi solum spectatur opus, nihil interest, utrum qui operatur sit rex, an miles, nobilis, vel ignobilis, probus, aut improbus. At certum est opera Christi fuisse infiniti pretii, quandoquidem propitiatio fuerunt pro peccatis totius mundi, et copiosa fuit apud eum redemptio; igitur dignitas personæ plurimum confert ad valorem meriti. Et confirmatur hæc ratio, nam de Christo nullus Catholicus negare audebit, quin ejus merita fuerint maximi pretii propter dignitatem personæ. Nam (ut alia nunc omittam) exstat epistola decretalis Clementis VI. quæ incipit, *Unigenitus*, in quo docemur guttam unam sanguinis Christi propter infinitam personæ dignitatem ad totius mundi redemptionem sufficere potuisse. At non dissimilis esse debet ratio meriti in capite, et membris. Igitur sicut Christi meritum, ita etiam merita justorum aliorum vim accipient a dignitate personæ.

Tertia ratio. Si non requiritur ad meritum adoptio et regeneratio; certe poterit homo

ante remissionem peccati per auxilium Dei speciale mereri vitam æternam, id vero tametsi ab adversario concedatur non solum est falsum, sed etiam repugnantiam continere videtur. Nam idem ipse merebitur vitam æternam et mortem æternam. Reus enim erit mortis æternæ propter peccata olim admissa, et nondum remissa; et simul jus habebit ad vitam æternam propter bona merita per legis obedientiam acquisita. Mereri autem simul vitam æternam et mortem æternam repugnantiam includit, quoniam mors æterna carentiam significat vitæ æternæ, proinde qui talis esset, deberet vivere in æternum, et non vivere in æternum; mori in æternum, et non mori in æternum.

Quarta ratio. Si posset qui nondum regeneratus est, vitam æternam operibus suis vere mereri: certe posset etiam gratiam justificationis proprie mereri. Nam si mereri potest gloriam, quæ est gratia consummata, cur mereri non poterit gratiam, quæ est gloria inchoata? At gratiam justificationis, id est, justitiam ipsam, per quam formaliter justificamur, non cadere sub meritum proprie dictum, Theologi omnes consentiunt, et ipsum Concilium, Tridentinum, disertis verbis affirmat, sess. 6, cap. 8. Unde etiam S. Augustinus, in epist. 105. ad Sixtum scribit, vitam æternam in Scripturis appellari mercedem et gratiam: ipsam autem justitiam numquam appellari mercedem, sed solum gratiam.

### CAPUT XIII.

#### *Solvuntur objectiones.*

Sed jam argumenta, quæ contra objiciuntur, breviter diluamus. Prima objectio. Scriptura divina promittit vitam æternam obedientiæ legis, Ecclesiast. xv. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Et Matth. xix. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2). Non autem dicit, si vis ad vitam ingredi, cura ut adopteris in filium.

Respondeo: Immo hoc ipsum Scriptura manifeste clamat cum ait Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Et Rom. viii. *Vivificat corpora nostra propter inhabitantem spiritum ejus in nobis.* Et ad Tit. III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, etc.* (3).

Sed intuendum est in Scripturis sanctis ad quos dirigatur oratio. Nam cum infidelibus Scripturæ loquuntur, non tam opera bona, quam fidem et Baptismum prædicant: cum autem alloquuntur fideles atque regenitos, non amplius fidem et Baptismum, sed opera, et legis obedientiam docent. Quod etiam nobis faciendum esse, ut videlicet aliter fideles, aliter impios adhortemur, monet S. Augustinus in lib. de natura et gratia, c. 68. Dominus igitur apud Matthæum, et Ecclesiasticus legis obedientiam tamquam viam ad vitam proponunt, quoniam fidelibus loquuntur.

Adde, quod si quis omnia mandata integre observaret, sine dubio salvaretur. Sed inter omnia est etiam illud primum et maximum de dilectione Dei super omnia, quod ab hominibus nondum regenitis perfecte observari non potest. Actus enim dilectionis Dei super omnia, vel non potest haberi, nisi per gratiam gratum facientem, et spiritum cor inhabitantem; vel si potest haberi per auxilium Dei speciale, continuo ad eum tamquam ad ultimam dispositionem sequitur infusio gratiæ justificantis et regenerantis, atque in filium Dei adoptantis.

Secunda objectio. Apostoli Petrus et Paulus, ille Actor. x., iste ad Rom. II. docent, Deum non accipere personas, sed gloriam et honorem tribuere omni operanti bonum. Non igitur requiritur ad meritum vitæ æternæ exaltatio naturæ ad esse quoddam supernaturale, sed sola obedientia legis.

Respondeo: Sæpe jam diximus cum sancto Augustino, lib. II. contra duas epist. Pelagianorum cap. 7. acceptionem personarum vitium esse contrarium justitiæ, non misericordiæ, vel liberalitati; proinde in judice locum habere, non in eo qui sua liberaliter donat. Deus igitur in judicio non accipiet personas, sed unicuique reddet secundum opera sua. At opera bona nascuntur ex gratia et justificatione, ac regeneratione præcedente, quam gratiam Deus non ut judex reddit, sed ut princeps liberalis donat. Itaque etiamsi in judicio Deus non respiceret personæ dignitatem, sed solam obedientiam legis, adhuc necessaria esset exaltatio illa naturæ ad esse quoddam supernaturale, quoniam sine illa merita vitæ æternæ haberi non possunt.

Sed addo non esse acceptionem personarum, si judex præmia distributurus dignitatem personæ consideret, quando ex ipsa

dignitate meritum pendet. Accipere enim personam non est attendere ad quamvis qualitatem personæ, sed ad eam, quæ ad causam nihil pertinet. Nam si forte lex sit, ut soli filii nobilium currant ad bravium aliud a rege propositum, non accipiet personam judex, si non solum celeritatem cursus, sed etiam nobilitatem considerabit. Sic igitur cum vita æterna sit bravium solis justis et bonis, et in filios Dei adoptatis propositum, non accipit Deus personas, cum has personæ qualitates attendit; sicut acciperet si consideraret, an qui bene operantur sint Græci, vel Judæi, liberi, an servi, masculi, an femina; et ideo nominatim Apostoli cum dicunt, Deum non accipere personas, mentionem faciunt Judæi et Græci. Quam rem sæpe repetunt et inculcant, quoniam Judæi existimabant se solos ad regnum Dei, et gratiam pertinere.

Tertia objectio. Concilium Arausicanum, can. 18. docet, deberi mercedem bonis operibus, si fiant; sed gratiam, quæ non debetur præcedere, ut fiant. Non igitur requiritur ad meritum aliqua exaltatio naturæ, sed sola gratia bene operandi.

Respondeo: Gratia bene operandi, et gratia adoptans homines in filios Dei, et exaltans in consortium divinæ naturæ, una atque eadem est, nimirum charitas infusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Illa enim si consideretur ut virtus, dicitur gratia bene operandi, si consideretur ut forma inhærens in anima, eamque formosam et divinam reddens, dicitur gratia adoptionis filiorum. Quare idem Concilium, can. ult. dicit, debere homines per baptismum regenerari, ut possint legem implere sicut oportet.

Quarta objectio, S. Augustinus lib. I. de libero arbitrio, cap. 6, dicit lege naturæ constitutum esse, ut boni beatam, mali miseram vitam ducant.

Respondeo: Non dicit Augustinus, lege naturæ, sed lege æterna. Næc loquitur de vita beata, quæ in Dei visione consistit, sed de vita beata in genere. Itaque sententia S. Augustini hæc est, lege æterna, et immutabili constitutum esse, ut boni bene, et mali male recipiant, et si quidem boni sint boni bonitate supernaturali, supernaturalem beatitudinem consequantur, si tantum boni sint bonitate naturali, simili etiam beatitudine sint beati.

Quinta objectio, sanctus Augustinus in li-

(1) I Cor. II, 9. — (2) Eccl. XV, 46; Math. XIX, 17. — (3) Joan. III, 3; Rom. VIII, 11; Tit. III, 3.

bro de natura et gratia, cap. 2. « Natura (inquit) humani generis et illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secunda, hoc est, de vita æterna, etiamsi in aliqua gente, aut in aliquo superiori tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ ». Hoc enim loco videtur sanctus Augustinus refellere sententiam Pelagianorum, qui dicebant hominem posse suis viribus legem implere, et tamen egere gratia adoptionis et regenerationis, ut regnum cœlorum valeat obtinere. Sequitur autem ex hac refutatione, sanctum Augustinum in ea sententia fuisse, ut existimaret non esse opus gratia adoptionis et regenerationis, ad regnum cœlorum obtinendum, sed solum gratia, quæ juvaret ad implendam legem, perficiendamque justitiam. Ac per hoc meritum pendere simpliciter ex obedientia legis, non ex dignitate personæ.

Respondeo: Propositio conditionata sancti Augustini verissima est: videlicet, si homo sine fide Christi possit suis solis viribus implere legem, de præmio vitæ æternæ debet esse securus. Sed non inde sequitur, non esse necessariam gratiam adoptionis ad meritum. Nam (ut idem Augustinus docet, loco citato, id est, lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2) non vivunt recte homines, ac per hoc non implent legem, neque justitiam perficiunt, nisi prius filii Dei efficiantur.

Neque eo loco S. Augustinus refellit Pelagianos, quod existimarent gratiam adoptionis esse necessariam. Hujus enim rei in toto eo libro ne meminit quidem; sed tantum refellit errorem cujusdam, qui naturæ humanæ nimium tribuebat. In aliis quidem locis idem Augustinus Pelagianis tribuit, quod requirerent gratiam adoptionis tamquam necessariam ad capescendam vitam æternam; sed non eos inde reprehendit, quod eam gratiam requirerent, sed quod negarent, eam necessariam esse in parvulis ad peccatum originale purgandum, in adultis ad implenda mandata divina. Vide quæ scripsimus de hac re in 1. lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 5.

At (inquies) ex hac propositione conditionata S. Augustini, si homo sibi sufficeret ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio, id est, de vita æterna deberet esse securus; sequitur, non esse ne-

cessariam gratiam adoptionis ex parte subjecti, sed tantum ex parte operis.

Respondeo: Id non sequi, quoniam (ut supra diximus) eadem gratia habitualis infusa, quæ perficit subjectum, est etiam principium operis. At nonne posset Deus sine habituali illa gratia elevante naturam, per solum auxilium speciale id efficere, ut homo legem impleret, justitiamque perficeret? Posset quidem, sed non quærimus hoc loco quid Deus possit, sed quid velit, et quid faciat. Constat autem nobis ex sacris litteris, et ex ipso S. Augustino non vivere homines recte, nisi filii Dei efficiantur: proinde non sufficere secundum ordinariam Dei legem, sive potentiam, ad bona opera, qualia requiruntur ad meritum faciendam, quodlibet auxilium speciale, sed exigere gratiam illam adoptionis infusam, quæ naturam elevat ad esse quoddam supernaturale, atque divinum.

Sexta objectio. Opus malum ex natura sua meretur pœnam, nec requiritur ut procedat ex habitu destruente naturam, igitur et opus bonum ex natura sua meretur præmium, etiamsi non procedat ex habitu elevante naturam.

Respondeo: Facilius est peccare, quam bene agere. Et ideo ad peccandum sufficit libertas arbitrii, ad bonum opus requiritur etiam gratia. Præterea, ut peccato debeat pœna, nulla conventio, vel promissio necessaria est, qui enim alterum lædit, justitiam violat, et ideo satisfacere tenetur ex justitia, etiamsi nulla promissio intercesserit. At ut bono operi debeat merces ex justitia, conventio vel promissio necessaria est. Non enim tenetur unus alterius obsequium acceptare, nisi conventio intervenerit. Deus autem non promisit mercedem vitæ æternæ, nisi per Christi gratiam regeneratis et adoptatis, ut passim Scriptura testatur.

#### CAPUT XIV.

*Requiri ad meritum vitæ æternæ promissionem Dei gratuitam.*

Disentienda sequitur conditio sexta, quam esse diximus promissionem, sive pactum liberale, atque gratuitum. Nam recentior ille Doctor, cujus sententiam superioribus duobus capitibus refutavimus, docuit præterea, opera bona ex natura sua esse meritoria vitæ

æternæ, ita ut non requiratur pactum ali-quod, vel gratuita promissio, ad hoc ut ex justitia merces vitæ æternæ bonis operibus debeat.

Addidit etiam quod ex hac ipsa sententia manifeste sequitur, Christum nobis non meruisse vitam æternam, nisi quatenus gratiam bene operandi nobis meruit. Sed verba ejus ex Bulla Pii V. Pontificis audiamus; hæc enim est secunda propositio damnata: « Sicut opus malum ex sua natura est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex sua natura, est vitæ æternæ meritorium ». Et hæc est undecima: « Quod pie et juste in hac mortali vita conversati usque in finem, vitam consequuntur æternam, id non gratiæ Dei proprie, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est. Neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem humani generis, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur ».

Quamvis autem omnibus Ecclesiæ filiis ad has sententias repudiandas satis abunde sufficiat Pontificis Maximi auctoritas; tamen addemus etiam ad majorem veritatis confirmationem auctoritatem Concilii Tridentini, et rationes ex Scriptura depromptas. Concilium igitur in 6. sess. cap. ult. « Bene operantibus (inquit) usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda ». Et Can. 29. « Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit ». Hic habemus et promissionem eamque misericordem, et gratuitam, et Christi merita respectu vitæ æternæ nobis tamquam filiis donandæ. Sed veniamus ad rationes.

Prima ratio. Sumitur ex parte ipsorum operum quæ si considerentur ex natura sua remota promissione et dignitate principii operantis, nullam habent proportionem ad beatitudinem illam supernaturalem; proinde

non eis debetur ex justitia merces æternæ vitæ, si ex natura sua tantummodo considerentur. Atque hoc est, quod Apostolus dicit, ad Rom. VIII: *Existimo, quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Et II Corinth. IV. *Quod in præsentibus est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis* (1). Hæc enim non docent opera bona non esse meritoria vitæ æternæ, sed non esse meritoria tanti præmii ex natura sua, sed aliunde, nimirum ex promissione, ex dignitate principii, etc.

Huc etiam pertinent testimonia Patrum, Athanasii in vita sancti Antonii: « Nec universo orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus ». Eusebii Emisseni, homil. 3. ad Monachos: « Totis licet animæ, et corporis laboribus desudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœlestibus bonis compensare, et offerre valebimus ». Augustini, in Psalm. xciii. « Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, et verum judicare, æterna requies æterno labore recte emitur, verum hoc est, sed noli timere, misericors est Deus ». Bernardi, in serm. 4. de Annuntiatione: « Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? » Thomæ, in 1. 2. q. 114. art. 3. « Si consideretur opus meritorium secundum substantiam operis et secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas, propter maximam inæqualitatem ». Cum igitur opera ipsa nostra bona, si per se, et secundum naturam suam tantum considerentur, sint temporalia et vilia, et nullo modo æqualia præmio supernaturali et sempiterno: certe necesse est, ut addatur eis dignitas aliunde, si ex justitia merces æternæ vitæ illis reddenda sit.

Secunda ratio sumitur ex parte Dei, qui nulla re indiget, et cujus sunt omnia jure creationis. Hinc enim sequitur, ut non teneatur Deus acceptare opera nostra ad præmium, jure reddendum, nisi ipse promissione sua liberali, se antea obligare voluerit. Hinc enim Job dicit, cap. xxxv. *Si juste egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Et apostolus ad Roman. II. *Quis prior dedit illi, et retribuatur ei? Nam ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia* (2). Et

(1) Rom. VIII, 18; II Cor. IV, 17. — (2) Job. XXXV, 7; Rom. XI, 35.